

Q. K. 238, 38

IV. 241.

VVITTEBERGAM  
SVMMORVM VIRORVM

EX EA

DISCESSV  
VALDE PERTVRBATAM  
AT ACCESSV



VIRI  
SVMME REVERENDI ATQVE MAGNIFICI  
DOMINI  
MARTINI  
CHLADENII,

SS. THEOL. DOCTORANDI,

MVNVS

THEOLOGIAE PROFESSORIS  
AC EPHORI ALVMNORVM  
ELECTORALIVM,

III. NON. FEBRVAR. c15 15 C C X.

ADEVNTIS REFECTAM

ALLOQVITVR

M. JVSTVS CHRISTIAN. THORSCHMIDIVS,  
ALVMNVS ELECTORAL.

VVITTEBERGAE LITERIS GERDESIANIS.







Vi quidem Academiis suo quodam jure proprius debebat esse honos, ut præ aliis doctrinæ ac boni moris palæstris tanquam Palatinæ quædam in supremi Numinis honorem florent, Doctoresque cum doctrina conservarentur salvi & incolumes; eum tamen justo minusque aliquando nobis cognito Dei moderamine videmus migrari. Est equidem, quæ Dei immortalis gratia est, doctrina integra adhuc conservata, illa tamen non omnino intacta in violataque, at Spiritus divini per Doctores idoneos ope strenue hactenus ac egregie vindicata, ut adeo nihil, de quo gloriarentur, victoriæ reportasse conspiciantur cœtus pie ac recte sentientis adversarii. Quo de, qua optimarum est partium Ecclesia singulariter sibi gratulari, plaususque dare videbatur. At enim, gaudia illa non fuere diutina, utpote discessu non unius *Summi Theologi* ex hac Academia non mediocriter turbata. Venit in mentem recordari ornamentum illius ac optimi habitus, quo nuper admodum florebat; Vidisses non raram studiis operantium turbam, ex qua Doctores ipsi vel maximum animi capiebant solatium. Tot singulis diebus perpetuo ac indissolubili nexu juncti exantlabantur labores, liturarii-que codicilli conceptis eruditæ scriptiōnis indies repleti, nec tamen erat quod excipientium calamis animisque remoram poneret ullam, proficiendique studium inhiberet. Vel totos dies a Doctorum ore pendere volupe erat. Ovanas hominum spes, quas cum summæ sunt, asperior distrahit nubecula! Ita quod perfectioni proximum est, cum ultimam expectat saltem manum, destructionem nihilominus habet opus timere; Iterque quod pene consummatum exhaustumque erat, de novo calcandum! Non tamen est quod spem amittas virtutum omnium palæstras Dei optimi providentia adhuc firma, integra, pura, incorrupta. Petunt Te quidem adversariorum tela, leviora tamen illa ac hebetiora: Quæ qui infringant habes adhuc, & accipis *Viros* doctri-



doctrina, prudentia, pietate, divino fervore nullis secundos.  
Vnum jam nomino, quem Tibi DEI, ac Potentissimi Serenissimi-  
que Regis & Electoris indulget clementia, *Virum summe Reve-  
renda Dignitate Excellentissimum*, Dominum MARTINUM  
CHLADENIUM, SS. Theol. Doctorandum, ejusdemque  
Licentiatum pridem celeberrimum, Jessenensium hactenus Ec-  
clesiarum Pastorem ac Superintendentem gravissimum; jam Fa-  
cultatis Theologicae Doctorem Publicum, ac Alumnorum Ele-  
ctoral. Ephorum spectatissimum. Ita satis jam dixi; Reliqua  
enim mentis meae cogitata jam pridem fama praecclare est elocuta.  
Quando tamen non nisi divinum est donum Doctoribus aptis  
gaudere, praestat certe vel pauca, eaque minus compta, bona Viri  
Excellentissimi venia, eam in rem dicere, quam omnino tacere,  
totumque hoc gaudii Tui, o Witteberga, instrumentum silentio  
transire. Magna omnino vis, maximumque in eo positum est  
momentum, ubi & a quibus erudiaris, inter quos vitam egeris,  
quos studiorum habueris & Doctores & socios. Ita enim omnis  
tam actorum quam agendorum gloria a Doctorum ductorum-  
que jam olim repetita est virtute. Quo enim quisque doctior, eo  
quoque prudentior: & quo altiores radices fixit rerum divina-  
rum peritia, eo firmiter quoque inhæsit virtutis & studium & ex-  
ercitium. Hinc illa non sibi soli sapiendi voluptas, sed cæteris  
quoque commodandi & viam ad perfectam eruditionem com-  
monstrandi studium, quod non praesentibus solum consulit rebus,  
sed futuris quoque prospicit. Vnde revocant me ad tempora no-  
stra *Waltheri* Viri summi insignia in Te merita, quæ recensere non  
mei, sed disertissimi, admirari tamen omnium est. Hujus Scholis  
quantum debeas vel ex eo constat, quod per complures jam annos  
doctissimos non solum rerum sacrarum Doctores Tibi dederint:  
verum etiam his rude a supremo rerum nostrarum arbitro dona-  
tis, *Hunc* jam surrogarint *Virum* Doctorem suo quam simillimum. De  
quo quantum sperare liceat, facile animo concipere poterit, qui  
*Waltheri* doctrinam quam in Theologia habebat summam, sub-  
tilitatem perspicuitate sua minime destitutam, eloquentiam, qua

unus ( 2 )



unus omnium maxime excellebat, hostes veritatis convincendi  
divinum fervorem in eoque raram prudentiam, in docendo  
ordinem unicum proficiendi magistrum, ceteraque quæ in sum-  
mo Theologo suspiciuntur quam plurima, cognita penitus ha-  
buerit atque perspecta. Hujus ductu auspiciisque crevisse in  
maxima felicitatis parte est ponendum; vestigia ejus premen-  
do ad maturitatem pervenisse, gloriosum; in locum autem  
quem ipse summus olim Doctor tenuit, surrogatum esse,  
non nisi honestissimi & a summis acribusque ingeniorum ac do-  
ctrinæ censoribus profecti judicii, summæque de *Doctore* nostro  
conceptæ spei est argumentum. Quid enim sibi excellens ista  
rerum divinarum intelligentia tanto Doctoris muneri par, scri-  
ptis hucusque ad institutionem omnium tendentibus satis ab-  
undeque probata? Ex quibus quæ vel intima Theologiæ spe-  
ctant adita, facile explicata ac doctè potes cernere enucleata?  
Agit in eo Augustinum quendam, cœtus purioris Patrem doctis-  
simum, qui licet optimarum rerum maxima fere obrutus esset  
farragine, studio tamen ordinis, subtilitatis, optimique dicendi  
generis laude tantum abest ut defraudandus sit, ut potius eo  
habeatur loco, qui dignus videretur, quem ceteri ad idem do-  
cendi munus evecti imitarentur. Rerum omni ævo gestarum  
notitiam, veterum sapientiam, Ægypti spolia cum Augustino  
in usum pium sacrumque scite ac studiose convertere didicit, iis-  
que quæ apud veteres reperiuntur sapientiæ Doctores, non omni-  
no nullius pretii, templum Domini locupletare. Et cum omnis  
fere muneris summi ratio in eo absolvatur (+) ut Scripturas re-  
ctè, animo ad mentem divini Spiritus inquirendam exhaurien-  
damque legitime instructo ac præparato explicent, & suis veram  
ad salutem viam inde certissime eliciendam, uti & aliis common-  
strandam, indicent, qua subinde freti atque confirmati victrici-  
bus armis possint obviam procedere iis qui a vera pastores cum  
grege volunt deturbatos via; Quid in eo præstiterit jam *No-*

(+) Ex sententia Dn. D. Jac. Andrææ, in Oratione de Instauratione stu-  
dii Theol. jussu Sereniss. Electoris. 1577. 25. April. apud nos habita.



*Aer*, scripta loquuntur publico ab eo commodo commissa, optimorum ac pie doctorum comprobarunt suffragia, quibus omnia ejus exceperunt. Ad hoc institutum cum non incerta linguarum, quas Oriens protulit, requiratur scientia: Illyrici in eo Hieronymi ductum est secutus, qui studio quo potuit summo Latinas non solum literas Romæ a Donato Grammaticorum doctissimo (†) perdidicit, sed & his Græcas, Hebræas, Chaldaicas, Syriacasque studiose junxit literas; Cujus prioris argumentum est eloquentissimi sui inter Græcos præceptoris Gregorii, patria Nazianzeni, profa vinctaque oratione & diviniori scientia præstantissimi, institutio, ut in ea lingua Aristotelem optimosque alios evolverit Philosophos; posteriorum autem, Judæi Barhaninæ dexteritas, qua factum est, ut Translationem Sacri Codicis in Latinum sermonem inter Patres primus aggressus sit studio fausto, eventu confecerit coëptis respondente, tot tantisque subsidiis digno. Hanc in litteris Orientis Barhaninæ eruditionem summam jam olim nobis Wittebergæ exhibuit, imo superavit Theodori Dassovii ingenium divinum; quod quidem eo magis in formandis elegantioribus profecit ingeniis, quo exactius rerum sacrarum doctrina ipsum fuit collustratum. Cujus operæ fructum præter alios hunc videt optimum, quod doctrinæ suæ assertores & propagatores in Germania & jam Wittebergæ, longe lateque videat quam plurimos. Quod autem eo tempore Donatus, id nostro omne præstitit Schurzfleischius; quem sive Grammaticum velis acrem, sive Philologum in utraque Lingva excellentissimum, nullus erraveris. Erat enim in *Viro* singularis quædam Scriptores veteres ac recentiores emendandi & castigandi facultas, judiciumque limatissimum, quod non nisi quæ ad antiquitatis propius accederent regulam, optimumque dicendi genus adumbrarent, pro-

):( 3

(†) Qui tunc temporis in Terentium ac Maronem commentabatur, de quo, an idem sit, quidam dubitant, ab ipso autem S. Patre verum docentur Cap. I. in Ecclesiast. & in Apolog. I. adv. Ruff. Conf. Erasmus in Vita ejus ad Wilh. Waramum, Cantuariens. Episcopum præfixa T. I. Opp.





probare solebat: Præ quo scilicet Donatus nihil habebat præcipuum, quam quod antiquior esset. Non sine sale enim stringebat sæpe eos, qui stili munditiem elegantiamque dictionis quam longissime a rerum sacrarum Doctore vellent remotam. Quasi vero Theologia, quæ quidem omnino simplicissima est, nullo omnino digna sit ornatu, nulla elocutione vel ex parte a communi abjectave remota? Quis autem neget, summam rerum sacrarum dignitatem decere, si res optimas accurato quoque & minus inquinato dicendi genere efferas, ferculaque optima ac pretiosissima vase puro ac nitido gustaturis propines. Id quod in veteris Ecclesiæ Doctoribus quam maxime suspicimus & miramur, in quibus rerumne an sententiarum lumina Lectorem in suas alliciant partes, affixum teneant, & non nisi invitum, sponsione tamen mox repetendi facta, a se dimittant, incertum dubiumque est. Stridonensis ille Doctor, interprete Erasmo, castigatæ dictionis Theologo, elegans scripturæ genus in Doctore sacro vel ex hac ratione requirebat quoddam, partim quod speraret, sacris litteris plures delectatum iri, si quis Theologiæ majestatem dignitate sermonis æquasset: partim ut esset aliquando quod Ethnicis obijci posset Christianos ut infantes & elingves despicientibus. (†)

Immane quantum ab hoc sancti Viri iudicio pio ac docto discessisse postea eos, qui a Schola appellationem traxerunt, in proptulo est, qui tamen ejus rei poenas dederunt gravissimas, cum sacros Theologiæ fontes puros ac claros sua reddiderint segnitie turbidos, adeo, ut nec ipsi iis degustandis sint idonei, tantum abest ut ad exhauriendum eos apti. Hos elegantissimo suo con-

fun-

(†) Quo suo exemplo etiam factum est, ut Ciceronianum nomen publice ei imponeretur. Quod quidem rident multi; nihil tamen agunt. cum nec Cicero, si Hieronymi vixisset tempore, purissime undiquaque fuisset locuturus, religione ac disciplina quandoque inter postulantibus. Nec tamen ex uno alteroque sancti Patris scripto iudicium ejus rei fieri posse judico: aliter enim ad senem quandam Paulum, Monachum, aut Castrutium Pannonem, ignobiles; aliter ad Demetriadem, Lætam, Marcellam, illustriss. Romæ matronas, aut ad Heliodorum, vel magnum oratorem Romanum scribit,



fundit exemplo *Doctor* noster noster *Excellentissimus*, ignavi docens esse ingenii doctas ac solidas animi commentationes incondito sermone eloqui; firmiora autem esse, tenacius hæere, ac svavius elegantes pariter mentes ac oculos afficere quæ cum verborum quadam proferantur elegantia & structuræ ornatu. Hinc in sacra cathedra constituto eo, quam non in inveniendo doctrinam & prudentiam; in disponendo accuratam sectionem; in eloquendo elegantiam singulæ orationes solennes spirabant? Ita in sacri Textus explicatione sive flores ex campo Theologiæ uberrimo carpenti, sive sensus exhauriendus, sive Scripturæ oracula, quæ ex hominum intelligentia sibi opposita videntur, essent concilianda; sive falsum dogma stringendum; sive ex antiquitate illustratio petenda; sive doctrinæ ac consolationis fontes verborum ac rerum quasi torrente percurrerent & aperiendi essent; Comparebat in eo non infelix Lutheri summi Theologi lectio, & copia ex ejus imitatione singularis, Stridonensis Doctoris σοφισμὸς ac facilitas, Augustini subtilitas & copiosissima Lectio, Chrysostomi in dicendo melliflua ubertas, dictionisque proprietates ac natus lepor non adscitus. O igitur fortunatam Te hoc Doctore Wittebergam! Quid non de eo Tibi promittere poteris? Scio, optima quæque ac summa. Scit enim *Doctor* noster vera docere, scit etiam ad eam artem quam proficitur pertinentia. Hinc enascentur lectiones doctæ, accuratæ, scripta erudita atque limata. Reddent Tibi Scholæ ejus Equum Trojanum singulari studio & dexteritate concinnatum. Ex eo Viri fortissimi prodibant non pauci; Ex his emittet bonos Theologos, veritatis defensores, sacros Oratores gravitate & elegantia præstantes: Numinis ope adjutus, quam toties ad miraculum usque est expertus. Laboribus enim non parceret. Quod si scribentem exoptes, & in eo erit Adamantinus. Quæ jam Stoicorum Secta hoc exinde nobis enatum gaudium redderet dubium? Quæ austerioris cujusdam Senecæ scita (hoc quidem loco) loquentia hanc nobis gaudendi eriperet materiam? Nihil agunt. Nolumus animum possidere ne Dei quidem beneficiis comm-

ven-



x 304 7934

vendum; Nolumus ratione carentibus deteriores fieri, quæ  
sive male sive bene cum iis agatur pariter habent. Lætetur  
de DEI beneficiis, offeramus ei καλλιμίαια pro bonis cumu-  
latissime in nos collatis; Doleamus de admissis, si quid seve-  
rius in nos statuatur summus rerum Arbitrator. Exulet a nobis  
illa Stoicorum ἀναμθησία; Personent lætæ acclamationes;  
multiplicentur vota pro salute Ducis nostri, qui *spem reducit  
mentibus anxiiis viresque*. Ita imponat tandem Numen opti-  
mum ruinis Academiæ finem, & tot optimorum Virorum  
excessu non leviter labefactatam pie doctorum virorum in-  
gressu reficiat restituatque Orbi integram. Duret adhuc lit-  
teris suis honos: Sint qui doceant, maneant qui discant, pa-  
ri utrique vigore, animi corporisque integritate. Persolutis  
quæ Academiæ Almæ Matri debebam, obsequiis, vertitur  
meus sermo ad Te *Vir Excellentissime, Patrone Venerande*, po-  
tissimam gaudii nostri materiam, quem tanquam sidus quod-  
dam novum conspicio orbi literario salutare, influxum in  
animos nostros spondens fœcundum, summe nobis *Venerabi-  
le*. Grata fuere DEO quæ hactenus pro gloria ejus elaborasti.  
Vnde dignum judicavit, quem muneribus admoveret gravio-  
ribus. Solet enim honorantes se similiter honorare. Sic jam  
*virtus intaminatis fulget honoribus*. Junge gaudia Tua no-  
stris. In republica morata vives. Ad Doctorum mores com-  
ponuntur animi. Redde nobis *Lyseros, Waltheros, Neuman-  
nos, Læscheros*, magna nomina, quorum subsellia nunc ornas.  
Habeat in Te Ecclesia quam diutissime quod anxia quærît.  
Accipiant a Te litteræ præsidium & decus, quo egent. Sit  
Tuæ curæ commendata lectissima Alumnorum Reg. & Electo-  
ral. cohors, cui præsis diutissime, quam promotam videas  
uberrime, & animi & corporis accessionibus  
copiosissime amplificatam.



Ha 5208 QK

VD18

n. c.





B.I.G.

Farbkarte #13

Black  
3/Color  
White  
Magenta  
Red  
Yellow  
Green  
Cyan  
Blue

IV. 241.

# TEBERGAM RVM VIRORVM

EX EA

DISCESSV  
E PERTVRBATAM  
T ACCESSV

Za  
5208

VIRI  
RENDI ATQVE MAGNIFICI

OMINI  
RTINI

LADENII,

OL. DOCTORANDI,  
MVNVS

GIAE PROFESSORIS  
ORI ALVMNORVM  
CTORALIVM,

. FEBRVAR. c1s 1s C C X.  
DEVNTIS REFECTAM

ALLOQVITVR  
RISTIAN. THORSCHMIDIYS,  
MVNVS ELECTORAL.

GAE LITERIS GERDESIANIS

BIBLIOTHECA  
PONICKAVIANA

UNIVERSITÄTS-BIBLIOTHEK  
SAALE  
(SAALE)